



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis  
Oratorii Fvndatoris**

**Gallonio, Antonio**

**Mogvntiæ, 1602**

Claudium Nerium ex pedibus, renibusq[ue] laborantem sanat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43172**

magnam, ac maximi consilij, quam agebat, confidere non poterat, Philippi sepulchrum adjit, pectus monumento admouit: nec frustra; eam enim intus vim caloris, eosque affectus sentire coepit, quos ex ampliis Beati Patris, cum ille viueret, percipiebat, à membris omnibus sudoris copia manante: neque hic stetit res: omni illa formidine spectius liberatur, reique exitus qui optabatur, contigit.

Nec desunt ex externis, qui ex eo solum quod eius sepulchrum insunt, insolita quadam lætitia, ac voluptate afficiantur, fluentibus lacrymis non tristitiae indicibus, sed pietatis.

*Claudium Nerium expeditibus, renibusq;  
laborantem sanat.*

**C**laudius Nerius aliquo post Beati viri obitum spatio temporis ex renibus, seu ex lateribus ad dextrum latus grauissime duos iam

*Rem totā  
Claudius  
eiusq; con-  
iux & filij  
publico te-*

stimonio  
confirmata-  
uerunt.

menses laborauerat : is erat dolor,  
qui intenderetur quotidie , eoque  
eger adeò miserè conficiebatur, vt si  
contigisset eum necessitate aliqua  
moueri,doloris magnitudine victus  
vociferari ad dolorem vtcumq; le-  
niendum cogeretur.

Accessit interim morbo nouus  
dolor,veteri manente; Nerius enim  
sinistro genu laborare acriter cœ-  
pit: recens ortum dolorem cum ad  
tres , quatuorue horas sustinuisse,  
veritus ne si ita increceret , eum  
somno priuaret, vt antiquior dolor,  
ex quo paucis anteactis diebus in  
articulis sinistræ manus laboraue-  
rat, humana ope desperata vertit se  
ad diuinam; vterque. n. dolor vehe-  
mens vrgebat, ergo vt velum capi-  
tis lineum Beati Patris , & thecam,  
in quam nonnihil ex eius capillis in-  
clusum erat , affectis admouit par-  
tibus, extemplò toto discusso dolo-  
re sanatur.

Interea Nerius accepti benefi-

cij

cij memor miraculum postero die omnibus ad eum confluentibus amicis narrat: sed cum non deessent, qui dicerent id naturę viribus contingere potuisse, vel fortè etiam contigisse; Dei permisso factum est, ut postero die nouo dolore opprimeretur (insidebat is in dextero genu) prioribus æquè vehemens: tum Nerius quò facilius agnosceret diuina vi antiquiores abijisse, nō ope humana, recenti fortiter resistere cogitat, euinque ad vesperum sustinere constituit: affectæ parti B. Philippi reliquias imponere planè recusat; experientia enim didicerat, eiusmodi dolores quò magis dies in vesperū inclinat, hoc vehemētiores fieri, atque acutiores: sed cum nocte aduentante is dolor, cui tumor accesserat, augeretur mirificè, tātusq; iam esset, quantum sustinere vix posset, suspicatus ne noua iterū premeretur vigilia, eodem remedio ad morbum depellendū vti statuit:

Vitæ lib. 3. Ee 4 quod

quod dum faceret, exemplò totus  
is dolor, totusque tumor euanuit;  
ita gemino miraculo Nerij, eiusque  
domesticorum duplicata lætitia, &  
Philippi sanctimonia dilucidius est  
comprobata.

*Fratrem Simonem è Capucinorum fami-  
lia sacerdotem utroque brachio ca-  
ptum liberat.*

**F**rater Simon ex brachijs ad de-  
cē menses laborabat, cuius mor-  
bi origo ex frigore erat; mali autem  
adē misera conditio, vt æger non  
modò manus post tergum flectere,  
sed ne vix quidem sublimè attolle-  
re posset: salutarem hostiam, rem  
diuinam cum faceret, non nisi ma-  
gno labore attollebat: sacerdotali-  
bus indumentis ad Missæ sacrificiū  
nisi aliena ope adiutus se induere  
haud poterat. hæc dolor, & is qui-  
dem grauissimus sequebatur, qui  
vrgebat assidue; sed in sinistro bra-  
chio, quod magis affectum erat, ve-  
hementior sentiebatur; hæc enim

pars

*Eius rei  
oculati, iu-  
ratis te-  
stes qua-  
tuor.*